

R

A

plet

hinc omnes de

rum turba quantum alle

lut in ore eorum omni in rum

ta ut novum sanctificationis sa



00

nicht im Ab

10

U. g. 77, 9

DISPUTATIO INAUGURALIS

19

De

RESIDUO;

Quam,

AUSPICE DEO,

Decreto

Amplissimi Jure-Consultorum Ordinis,

P R Æ S I D E

WOLFGANG-ADAMO Lauterbach/

U. J. D. & Professore,

Pro honoribus & privilegiis

DOCTORALIBVS

rite consequendis,

Ad Diem Julii,

Publico Examine submittit

JOHAN. ALBERTUS Schük/

Gustrovio Mecklenb.

TUBINGÆ,

Typis JOHANN: ALEXANDRI CELLI,

ANNO M. DC. LVI.



RECHTSGEBUNG

VERORDNUNG

DES

MINISTERS DER JUSTIZ

UND

VERWALTUNG

DES SAARLANDES

VOM

1. SEPTEMBER 1913

AN

BEI

DESS

INHALTS

VERZEICHNIS

SEITE

1-10

11-20

21-30

31-40

41-50

I. N. D. N. J. C.

RArtium solutio & exactio, teste
 Cajo Jcto, sæpe maxima secum trahit in-
 commoda. *l. 3. ff. famil. ercisc.* Proinde,
 quamvis obligatio super rebus fungibi-
 libus, pondere, numero & mensura con-
 stantibus sit contracta, atque ea ratione dividua, tamen
 regulariter invito Creditori partis solutio obrudi non
 potest. Quia deducta in obligationem, ratione sum-
 mæ & comprehensionis individux, pro connexis & co-
 hærentibus habentur. *l. 41. §. 1. ff. usur.* Tum etiam quia
 jus solidum exigendi creditori est quæsitum; quod ei
 invito auferendum non est. *§. 2. de his qui sunt sui vel alien-
 jur. l. 11. ff. R. l. l. 6. C. unde vi.* Cum vero in se & natura-
 liter per partes fieri solutio possit, non tantum Credi-
 tores interdum benevolentia ducti particularem solu-
 tionem accipiunt; sed leges quodque certis in casibus
 illam permittunt. *l. 4. §. 6. ff. stat. liber. l. 21. ff. reb. cred. l.
 ult. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. l. 4. C. collat. Patrim. Dn.
 Habn. in not. ad Wesenb. tit. de V. O. n. 6. p. 645.* Imo novis-
 simus Imperii Recessus, de Anno 1654. generaliter de-
 bitoribus præcedentis belli calamitate depauperatis hoc
 concessit beneficium, ut intra certum tempus debita
 per partes creditoribus exsolvere possint. *d. Recess. §. So
 viel nundie Capitalia. vers. falls aber drittens.* Facta autem
 partis solutione, de reliquo, quod adhuc solvendum re-
 stat, & in jure RESIDUUM vocatur, haud raro singu-
 lares moveri solent, quæstiones. Quapropter de hoc
 Residuo sequentes Theses conscribere, & publico exa-
 mini submittere constitui. Quod ut secundum votum
 procedat, supremi Numinis imploro auxilium.

T H E S I S I.

Antequam autem ad ipsam Residui materiam pertractandam me accingam, e re erit, suadente Ulpiano, in l. 1. pr. ff. R. C. de significatione vocis pauca pramittere. Residuum enim in jure nostro non in una legitur significatione. Interdum Residuum denotat totum, quid; non quidem ex propria ipsius vocabuli significatione, sed potius ex disponentis mente & voluntate. l. 2. C. hered. instit. l. 78. §. f. 79. l. 80. ff. eod. Coedd. ad l. 95. d. V. S. Alex. ab Immol. vol. 4. consil. 26. Interdum sumitur relative, & partem denotat, quæ de toto, cujuscunque sit generis, adhuc super est: sic tempore præscriptionis nondum finito, illud, quod super est, dicitur tempus residuum, in l. 6. C. de non num. pec. N. 134. c. 10. In specie vero Residui vox in jure nostro ad debitum refertur; & pars debiti, respectu alterius jam solutæ partis, dicitur Residuum. l. 8. C. solut. matr. l. 5. C. deposit. l. 2. C. act. empt. l. f. §. 5. C. de jur. domin. impetr. l. 5. C. de distr. pign. l. 25. C. de Evict. l. 11. ff. eod. l. 2. §. 1. ff. dot. præleg. l. 5. §. 1. ff. si mens. fals. mod. dixer. Denique specialissime & strictissime accipitur pro pecunia publica, quæ apud ejus administratorem super est, & vel in usum publicum erogari, vel in ærarium inferri debuit. Unde lex, qua hæc retentio coëctetur, Lex Julia de Residuis vocatur, ipsumque delictum de Residuis, & ejus accusatio, actio Residua pecuniæ dicitur l. 2. l. 4. §. 3. & 4. l. 9. f. ff. ad L. Jul. pecular. & de sacrileg. & de Resid. Tertia & penultima significatio est hujus loci: cujus Synonyma sunt, quæ idem significant, Reliquum, superfluum. l. f. C. si vend. pign. act. Germanis vocatur das hinderstellige/der Nachstand/ Rückstand/ Reccess Imper. de Anno 1654. §. die verfloßene. Item der Rest. Gallis etiam Residuum dicitur, la Reste. Debitores vero qui ad Residuum obligati sunt, Reliquatores appellantur, l. 9. §. 2. de publ. vectigal. l. 102. §. 2. ff. de solut. Colleg. Argent. Jurid. d. l. de publ. vectig. tb. 8. & Residui computatio Reliquatio. l. 44. §. 1. ff. administ. tut.

I I.

Vocis explicationem merito excipit Definitio Realis, quæ nunquam a rerum tractatione cum ratione suscepta abesse debet,

debet, teste Cicer. *lib. 1. de offic.* Potest autem Residuum, de quo mihi hic sermo, ita delineari, quod sit pars debiti; quæ parte ejus soluta, adhuc restat solvenda. Ex hac definitione apparet, Residuum, totum præsupponere debitum. Pars enim præsupponit totum. Frantz. *in comm. d. Evik.* Debitum autem hic late accipitur, æque ac in definitione actionis; ita ut omne illud comprehendat, quod vel jure obligationis peti, vel reali actione vindicari potest. Licet enim proprie ea, quæ nostra sunt, dici non possint nobis deberi: *l. 27. §. 2. l. 34. pr. ff. aur. arg. legat.* Arnold. Vinn. *ad §. 1. I. de action. vers. quod sibi debetur num. 13.* Interdum tamen verbum debendi laxius sumitur, ut illud quoque denotet, quod ex jure in re ad alium pertinet, ipsique restituendum est. Unde Ulpianus *in l. 178. §. ult. de V. S.* scribit, hoc verbum debuit omnem omnino actionem comprehendere. Nihil itaque impedimento est, quo minus illud, quod, parte præstita, adhuc ex jure in re præstandum restat, recte quoque Residuum dicatur, & ad hanc tractationem referatur.

III.

Deinde hic intelligo efficax debitum, quod aliquando exigere potest. Quo ipso primo excludo illud, quod debetur ex obligatione naturali tantum; quæ sola naturalis æquitatis ratione nititur; *l. 95. §. 4. ff. solut.* sive illa sit plena, sive minus plena: ut obligatio ad ἀλλόδαξ. *l. 25. §. 11. ff. hered. petit.* Nam ex naturali obligatione in foro Romano nulla nascitur actio, qua totum exigere possit. Ergo nec ejus pars. Et licet naturaliter obligati interdum in jure nostro debitores dicantur; tamen hoc tantum fit improprie & abusive. *per. l. 16. §. 4. ff. fidejuss.* Hinc quamvis hujus debiti pars fuerit soluta, exinde tamen non statim Residuum restat solvendum; nisi hoc quoque solvens tacite vel expresse promiserit. Secundo removetur hic debitum Civile tantum, quod nimirum ex obligatione civili tantum descendit. Nam uti in præcedenti legum autoritas: ita in hoc naturalis deest æquitas. *§. 1. I. de Except. l. 3. §. 1. ff. const. pecun. l. 95. §. 4. ff. solut.* Eapropter nec ex hac obligatione civili tantum, efficax datur actio.

Etenim licet hæc obligatio actionem producat; illa tamen est sine effectu; utpote quæ exceptione perpetua eliditur. *l. 2. §. 3. & passim ff. dol. mal. & metus except.* Paria autem in jure sunt, nullam habere actionem, & habere actionem, cui perpetua obstat exceptio. Cum itaque quoad effectum eadem in obligatione civili tantum militet ratio, quæ in naturali simplici, eadem legis dispositio in hac quoque obtinebit locum. *l. 32. ff. ad L. Aquil. l. 27. §. 2. ff. ad L. Iul. de Adult. l. 9. §. 2. ff. edend. l. 5. naus. caup. stabul. Proinde & si de tali debito pars fuerit soluta, frustra tamen de ejus residuo disputatur, cum etiam solutum ab errante indebiti conditione repeti possit. l. 26. §. 3. ff. condict. indeb.*

I V.

Denique ex nostra Residui descriptione apparet, ad ejus substantiam requiri, partem debiti esse solutam. Nam de toto debito si nihil sit solutum, proprie non dicitur residuum, sed ipsum residet totum. Solutionis autem verbum hic accipio late & generaliter, pro omni liberatione quocunque modo facta; uti etiam sumitur in *l. 54. ff. de solut.* Notum enim est, solutionis vocabulum dupliciter in jure accipi. I. Refertur ad ipsam obligationem, & comprehendit omnes obligationem dissolvendi modos. *d. l. 54.* II. stricte, & refertur ad ipsam rem debitam, & denotat naturalem ipsius rei debitæ præstationem. Residuum itaque dicitur, sive pars debiti naturaliter soluta, sive per accipitationem, compensationem *l. 7. C. solut* aut confusionem sit extincta, *l. pen. ff. eod.* aut legis dispositione remissa. Sic e. g. Novissimo Imperii Recessu certa usurarum pars est remissa, reliqua, quarta sc. adhuc solvenda in ipso Recessu expresse dicitur Residuū. *d. Recess. Imper. §. die verschossene und noch unbezahlte. vers. wofern aber. ibi: so soll der schuldiger das Residuum dieses $\frac{1}{4}$ innerhalb den nachfolgenden 10.* Etiam si illud non statim, sed post decennium, aut si fors intra decennium fuerit soluta, post quatuor demum annos exigi possit. Nam & illud, quod in diem debetur, efficax est debitum. Dies enim nec obligationem, nec actionem suspendit, sed exactionem tantum differt. Dies siquidem non afficit substantiam obligationis; ac proinde nec ejus effectum. sc. actionem impedi-

impedire potest. l. 46. de V. O. §. 2. l. eod. l. 2. §. f. de const. pecun. l. 44. §. 1. de O. & A. vid. Dn. Georg. Frantz. Exer. 10. q. 2.

V.

Tandem in Residui descriptione adjeci, quod illa debiti pars Residuum dicatur, quæ adhuc restat solvenda. Etenim si parte debiti soluta, etiam reliqua debiti pars acceptilatione, aut alio modo fuerit extincta, aut pacto remissa, non posset illa dici Residuum. Licet namque jure civili regulariter pactum remissorium ipso jure obligationem civilem & exinde competentem actionem non tollat; sed civile debitum adhuc supersit. Quia tamen hoc pacto vinculum naturalis obligationis ipso jure solvitur l. 95. §. 4. de solut. & creditori perpetua exceptio conceditur, hæc pars pacto remissa non recte dicitur Residuum, per ea, quæ supra Th. III. dicta sunt; & si per errorem facti fuerit soluta, indebiti conditione repeti poterit. l. 5. §. f. C. de pact. l. 26. §. 3. ff. cond. indeb.

VI.

Ex dictis, quid mihi hic Residuum dicatur, nunc satis constare arbitror. Venit autem illud ex iisdem causis, ex quibus totum descendit debitum, cujus pars est Residuum. Nam parte debiti soluta, prior obligatio non in totum extinguitur, sed pro parte non soluta regulariter manet salva: exempl. gr. a quo 100. efficaciter exigere possum, si ipse 50. tantum solvat, is tali solutione quoad reliqua 50. non liberatur, sed firmiter manet obligatus. arg. l. 9. C. solut. pr. 1. quib. mod. toll. oblig. Partem enim accipiens vel remittens, non statim reliquam quoque partem remittere censetur, sed potius illam sibi salvam reservare velle videtur. Cum nemo in dubio donare præsumatur, maxime si homo diligens & studiosus Paterfamilias sit. l. 25. ff. de probat. Animus donandi semper est declarandus, alias potius error, quàm donatio præsumitur. Mascard. de probat. concl. 54. num. 5. & concl. 639. num. 10. Menoch. consil. 1. n. 15. Et huc quadrat illud Zorer. in seinem Müng. bedenkten q. 5. n. 363. geborget / ist nicht gescheneht. Procedit autem hoc ipsum, quod Residui obligatio duret, non tantum si lege pars debiti fuerit remissa, aut ex legis dispositione creditor partis solutionem admiserit, sed etiam si ipse sua sponte partem debiti a debitore oblatam acceperit.

Hæc,

VII.

Hæc, ut plenius intelligantur, exemplis erunt illustranda. Sic in supra adducto novissimo Imperii Recessu tres partes usurarum præteriti temporis, ob præcedentis belli calamitates debitori remittuntur; tantum autem abest, ut hoc ipso tota usurarum præteritarum obligatio sit extincta, ut illa potius expresse quoad reliquam usurarum partem creditori in *d. Recess.* referretur. Limitata causa, limitatum producit effectum. Et qui tantum partem obligationi eximit, reliqua in ea relinquit. Quamvis vero huic quartæ usurarum parti etiam certum tempus, intra quod exigere non possit, sit adjectum, illaque propterea intra illud tempus non videatur efficax esse debitum, ac per consequens nec proprie Residuum, per ea, quæ in præcedentibus sunt dicta. Attamen quia dies nec obligationem, nec actionem suspendit, sed tantum ejus effectum ortum nimirum ipsam executionem differt; §. 2. *I. de V. O. l. 46. ff. eod. l. 215. de V. S. l. 43. ff. mand. Dn. Frantz. Exer. 10. q. 2. Bacchov. ad Treutl. 2. D. 27. th. 6. lit. C.* & ad verum & efficax debitum non requiritur, ut statim exigere possit; sed sufficit, ut illud aliquando peti possit; *l. 3. §. f. ff. const. pec. l. 10. de V. S.* proinde illa temporis adjectio non impedit, quo minus quarta illa usurarum pars recte & proprie dicatur residuum; uti etiam expresse in ipso Imperii Recessu appellatur.

VIII.

Item si creditor ex legis dispositione particularem solutionem admiserit, idque vel ob favorem libertatis, *l. 4. §. 6. ff. stat. liber.* vel quod pars tantum liquida, altera illiquida, *l. 21. de R. C. arg. l. 8. si pars hered. pet.* vel in aliis casibus, de quibus in *l. 2. §. 4. de eo quod cert. loc. l. placuit. C. collat. fund. parr. lib. 11.* & apud Carpz. *lib. 5. Respons. 99. num. 8. & seqq.* Hahn ad Wefenb. *tit. de V. O. num. 6.* aut hodie ob generalem Imperii constitutionem partem debiti acceperit, reliquis debiti partibus hoc ipso renunciare videtur vel minime; sed quoad Residuum actionem suam retinet salvam. Renunciatio enim, tanquam species donationis regulariter non præsumitur, *c. 5. de renunciat. l. 25. de probat.* sed probari debet, & quidem evidenter; adeo ut ex actu aliquo, etiam proxi-

proximo non inducatur, nisi de ea expresse agatur. *c. 7. ibi gloss. de renunciat.* Quod maxime procedit in illis, quæ fiunt ex juris necessitate; ex quibus nunquam aliqua præsumi vel induci potest renunciatio. Cum nemo in necessitatibus liberalis esse videatur. *l. 18. ff. de alim. legat.*

I X.

Pari ratione ex legis dispositione particularem solutionem admittere tenetur is, qui debitorem habet privilegiarum competentia beneficio gaudentem. Notum enim est, quod certis personis, veluti Parentibus, §. 38. *l. de action. l. 16. de re judic. l. 7. §. 1. de obseq. Parent.* Patronis, illorumque Parentibus, *d. §. 38. l. 17. de rei jud. l. 5. & seqq. de obseq. Parent.* Marito, *d. l. 17. & seq. 20. de re jud. Uxoribus, l. 17. §. 1. sol. matrim. l. 20. de re jud. Sociis, l. 16. l. 22. §. 1. de re judic. §. 38. l. act. l. 63. ff. pro soc. Militibus, l. 6. pr. l. 19. de re judic. Donatoribus, l. 19. §. 1. l. 41. inf. de re jud. l. 12. l. 23. de don. l. 28. de R. l. Filiis familias in casu l. 2. & tt. ff. quod cum eo qui in alter. pot. l. 2. C. eod. l. 49. de re jud. l. 3. §. 4. de minor. & debitoribus, qui bonis cesserunt, quoad bona postea quasita, §. f. *l. de act. l. 4. de cess. bon.* particularis solutio ex speciali privilegio sit permessa; ita ut non ultra id, quod facere possunt, condemnentur, sed res ad alimenta ipsis necessaria sint relinquenda. *l. 30. ff. de re jud. l. 173. d. R. l.* Residuum vero, quod dictarum personarum Creditores consecuti non sunt, non remittitur, sed adhuc & civiliter & naturaliter debetur; licet ejus exactio in eum casum, quo ad pinguiorem fortunam pervenerit, differatur; prout expresse rescribunt Imppp. in *l. 8. C. solut. matrim.* hisce verbis: *Nec maritus, licet post divortium, in quantum facere possit, condemnandus est, postea idoneus factus, qui non reddiderat integrum, Residui probabiliter solutionem recusat.* Unde etiam marito, qui solidum solvit, licet non habeat, unde se sustentare possit, soluti tamen repetitio denegatur; *l. 9. ff. condit. indeb.* ipseque si non solidum præstiterit, de Residuo in eum casum præstando cavere jubetur, in *l. un. §. 7. ibi: cautio videlicet ab eo exponenda, quod si ad meliorem fortunam pervenerit, etiam quod minus persolvit, hoc restituere procuret. C. de rei uxor. act.* Quod ipsum etiam expresse de sociis respondet Paulus Jctus, in *l. 47. §. 2. de pecul.* Hanc tamen cautio-*

B

nem,

nem non nulli male de satisfactione accipiunt. Hartm. Hartm. 2. l. 3. th. 2. num. 9. Cautionis enim vocabulo simpliciter posito nuda intelligitur promissio; l. 3. C. de V. & R. S. quod expresse etiam de socio docet Ulpianus in l. 63. §. 4. pro socio. Licet autem hæc cautio non præstita, sed vel ex juris ignorantia vel creditoris negligentia fuerit omissa: per hoc ipsum tamen residui obligatio & exactio non tollitur, aut extinguitur; sed creditor illam etiam hoc in casu habet salvam. Imo etiam si Creditor hanc cautionem expresse remisit, hoc ipso tamen non statim videtur remissum ipsum residuum; nisi manifeste aliud inter illos sit actum. Nam cautionem remittens, debitum suum non amittit, sed actionem principalem salvam retinet l. 2. §. 1. ff. pact. Accessorium tollitur, principali extincto: l. 43. ff. solut. verum accessorio sublato non statim tollitur principale. d. l.

X.

Denique aliud speciale aliquod privilegium debitoribus imperitendo leges nostræ creditoribus partialem solutionem obtrudunt: Dum nimirum debitores calamitosos, qui bello, incendiis, inundationibus & similibus causis solvendo esse desierunt, per speciale quamvis flebile cessionis beneficium sublevant. l. 3. 4. C. qui bon ced. poss. Licet autem calamitosi illi debitores, si legitimo modo bonis cedant, a flagitatione perpetua, & carceris metu liberentur: l. 1. 4. C. qui bon. ced. poss. §. f. 1. act. Gail. 1. O. 43. num. 20. ipsa tamen obligatio & naturalis & civilis, ac exinde descendens actio per hoc cessionis beneficium non tollitur; sed Creditores, in quantum debitum non sunt consecuti, in tantum actionem adversus cedentem salvam retinent, suspensa saltem exactiois effectu, donec ad pinguiorem fortunam debitor pervenerit; qui tamen in his bonis postea quasitis, etiam competentæ gaudet beneficio, ita ut post cessionem ultra id quod facere potest, cum effectu conveniri & condemnari nequeat. l. 3. C. de bon. auth. jud. poss. l. 1. C. qui bon. cod. poss. l. 4. ff. eod. §. f. 1. acti. Brun. de cess. bon. q. 19. quart. q. pr. Bacch. ad. 1. f. 1. de act. Unde etiam Dd. requirunt, ut cedens de Residuo, si ad meliorem fortunam redierit, solvendo, idonee caveat, per c. Odoardus X. de solut. Mevius in decis. levamin. inop. debit. c. 1. num. 60. de qua vid. Bachov.

Bachov. & Hahn. *ad Wesenb. w. ff. de bon. cens. num. 5.* An vero idem dicendum sit, quod sc. quoad residuum creditores contra debitorem bonis cedentem salvam habeant actionem, si contumelioso aliquo modo bonorum cessio facta sit, non omnium eadem est sententia. Hodie enim ex multorum locorum statutis hæc bonorum cessio variis & ignominiosis solet fieri ritibus: e. g. Quibusdam in locis debitor nudatus in saxo publico sedens palam proclamat, se bonis cedere; In aliis locis deducitur in publicum, comitante pueroorum grege, qui inane gestant marsupium &c. vid. Bened. Carpz. *Aysl. debit. c. 2. posit. t. 43. num. 166. & seqq.* Brun. *tr. de cess. bon. q. 6. pr. num. 5. & seqq.* Non nulli in alienis justo liberaliores, & pro responsionibus calumnias reddentes, hoc ipsum negant, docentes, debitorem talem per ignominiosam bonorum cessionem in totum liberari, nec in residuum, quod creditores non acceperunt, obligatum manere. Sed rectius contrarium defendit Menoch. *de arbit. jud. quest. cas. 183. num. 20.* & qui illum sequitur Dn. Hahn *ad Wesenb. w. ff. de cess. bon. in fin.* Ritus siquidem illi ignominiosi non indebiti compensationem, sed ad hoc sunt inventi, ne debitores tam facile in perniciem creditorum suorum ad illud confugiant. Nec usquam in jure hæc ignominiosa cessio a regula in *l. 1. C. qui bon. ced. poss.* proposita excipitur, aut inter modos obligationem solvendi refertur. Idem statuit Joh. Uffel, *in not. ad Covarruv. lib. 2. var. resol. c. 1. num. 6.*

X I.

Ab hoc autem cessionis beneficio excluduntur bonorum suorum decoctores, bancruptores, falliti; (*vid. Besold. thes. pract. voce Panerotrer*) Politey, *Ordnung Carol. V. tit. von den verdorbenen Kauffleuten.* Mevius *ad Jus Lubecens. lib. 1. tit. 3. art. 1. num. 7. & seqq.* qui sine distinctione, in carcerem, in den *Schuldthurm* detruduntur, vel quibusdam in locis creditoribus adjudicantur. Unde queritur, debitore incarcerato, vel creditoribus adjudicato, an creditoribus Residuum salvum maneat, ipsique, si debitor ad pinguiorem fortunam pervenerit, illud exigere possint? Quod recte affirmat Mevius *d. art. 1. num. 160. & seqq.* Non enim carcer aut adjudicatio solvit, sed bursa aut opera. Hyppol. *de Marsil. in pract.*

crim. s. attingam. 254. Mevius d. l. Unde debitor ob æs alienum incarceratus non dimittitur, antequam Residuum una cum usuris solverit. *Carpz. p. 2. c. 27. d. 9.* Creditoribus vero si debitor adjudicatus fuerit, operæ illius æstimantur, & Residuo deducuntur. *vid. Carpz. d. c. 22. d. 8. Mev. d. art. 1. n. 109. & seqq.* Statutis Hamburgensibus, si residuum fuerit 1000. Marc. Lubic. & debitor per annum carcere publico detentus fuerit, creditor Residuum suum amittit *Stat. Hamburg. part. 1. tit. 41. art. 12.* Und so die Schuld nicht 1000. Marck Lübisck übertriffet / soll er ein Jahr lang / da sich aber die Schuld höher erstrecket / soll er so viel Jahr auff den Wiesenbaum sitzen / so viel tausent Marck er schuldig bleibet / und nach außgang solcher Jahr der verfassung erlassen / und der schulden halben gefreyet seyn.

XII.

Hucusque de particulari solutione, quæ ex juris necessitate recipitur, & quatenus Residui obligatio hisce in casibus maneat salva. Cum autem haud raro eveniat, ut Creditores sponte, & benevolentia ducti partis solutionem admittant, an etiam hoc in casu Residui obligatio firma maneat, quæritur? quod affirmare nullus dubito. Partis enim solutio, non totum tollit debitum; nec contra intentionem creditoris remissionem Residui operatur. *arg. l. 19. ff. R. C. l. 25. ff. de probat.* Hinc venditor partem debiti accipiens, residuam ejus partem, venditi actione ab emptore petit; ita ut nec erronea compensatio illam actionem tollat. *l. venditi 2. C. action. empt. ibi Salic. & Bald.* Nec illius exactionem impedit, quod res vendita ex præcepto principali partim distracta, partim veteranis in præmium assignata fuit. Hoc siquidem periculum non pertinet ad venditorem. *l. Lucius. 11. pr. ff. de Eviction. ibi: Ictus Paulus respondet, futuros casus evictionis post contractam emptionem ad venditorem non pertinere; Et ideo emptor vel ejus heres in Residuam quantitatem jure convenitur. d. l. Lucius.* Denique a Residui præstatione emptor non liberatur, etiamsi pro eo totam rem emptam offerret, *arg. l. de contractu. 3. l. non est 6. C. de rescind. vendit. Carpz. lib. 5. Respons. 24.* sed illud ex tempore moræ cum usuris præstare tenetur; *l. curabit 5. C. de action. empt.* idque secundum generalem juris regulam, quod sc. in omni-

in omnibus bonæ fidei contractibus, ex mora debeantur usuræ *l. mora. 32. §. 2. ff. de usur. d. l. curabit. 5. C. act. empr. quam l. explicat. Dn. Frantzk. in Comment. titul. de action. empr. num. 370. & seqq.* ubi de hac quæstione an & quatenus usuræ pretii nondum soluti debeantur, late agit.

XIII.

Sic etiam venditor ultra dimidium iusti pretii læsus, pretium conventum recipiens, residuum, quod iusto pretio deest, vel restitutum accepto, rem ipsam repetere non prohibetur. *l. rem. majoris. 2. C. de rescind. vendit.* Cujus beneficium etiam emptori competere, ut communis, ita etiam verissima est de jure sententia; tum propter maximam affinitatem, quæ inter eos est; tum etiam quod æquitatis ratio id suadeat. Ubi autem eadem est ratio; ibi eadem etiam est juris dispositio *l. illud questum. 32. ad L. Aquil. l. a Titio. 108. ff. de V. l.* Et ratione legis cessante, cessat demum ipsa lex. *arg. l. liberorum. 11. ff. de his qui notant. infam.* Bened. Carpz. *part. 2. constit. 34. defn. 8.* Si tamen venditor vel emptor verum rei pretium sciverit, & tamen rem minoris vendiderit, vel pluris emerit, & pretium conventum acceperit aut dederit; frustra de hujus residui quæritur exactio: Utpote quod hoc in casu non debetur. Scientia enim iusti pretii regulariter *d. l. 2.* beneficium excludit; Et operatur, ut partim hic donatio, partim emptio & venditio videatur contracta, docente Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 2. c. 12. num. 5.* Nec videtur quis frustrari eos, qui sciunt & consentiunt. *l. 145. ff. de R. l.* Recte itaque Dd. exinde concludunt scienter læso non competere beneficium *d. l. 2. Gail. 2. O. 29. num. 11.* Sic nec in transactione læsus, de residuo agit aut dicto beneficio adjuvatur; Cothm. *Resp. 30. num. 131. Faghin. 2. controv. 26. Fichard. tom. 2. consil. 30. n. 6. 7.* quod & in Camera receptum esse, refert Gail. *2. O. 70. Gylm. Symph. supplet. tom. 1. part. 3. vol. 16. num. 21.* Ita nec, per publicum incantum aut sub hasta si res majoris vel minoris sit vendita, agi potest de residuo. cum & hoc in casu *d. l.* beneficium cesset. *l. si eo tempore. 6. l. si hypothecas. 8. C. remiss. pignor.* Magnificus Dn. Johan. Otto Ta-bor *de jur. hast. thes. 31. Berlich. dec. 127. Moller. 3. semestr. c. 12.*

XIV.

Porro si quis emptionem & venditionem sub lege Commissoria, nimirum, ut, si intra certum tempus pretium solutum non fuerit res inempta fiat, contraxerit, & post diem lege Commissaria comprehensum partem pretii acceperit; licet hoc ipso a lege Commissaria recessisse videatur; reliquum tamen exigere non prohibetur. *l. 6. §. f. ff. de leg. commiss. l. Commissoria. 4. C. de pact. inter. empt.* Si vero venditor post dictum diem nihil acceperit, sed lege Commissoria uti elegerit, & rem venditam receperit, emptor etiam residuum fructuum interim perceptorum restituere tenetur. Nihil enim hoc casu penes ipsum residere oportet ex re, in qua fides fallit, inquit Jctus Neratius, in *l. lege fundo. 5. ff. de L. Commiss.* Licet namque emptione perfecta, omne commodum & incommodum ad emptorem pertinere dicatur; §. 3. *l. de contrab. empt. l. necessario. 8. ff. de pericul. & commod. rei vend.* idque maxime si rei vendita dominium in emptorem per traditionem fuerit translatum. *l. Iulianus. 13. §. 20. ff. de action. empt.* Et hoc quoque in casu emptio statim ab initio perfecta; *l. si fundus. 1. ff. de lege commiss.* dominiumque per traditionem in emptorem sit translata. *l. lege ff. de Leg. Commiss.* At tamen, quia, pretio dicto die non soluto, & voluntate emptoris declarata, quod scilicet lege commissoria uti velit, contractus statim resolvitur; ita ut ab initio nullus videatur, æque ac si dominium in emptorem nunquam fuisset translatum. Proinde etiam fructus nunquam emptoris fuisse censentur, & propterea ab ipso recte reperiuntur; *d. l. 5.* nisi emptor partem pretii antea solutam ex pacto amiserit; tunc enim in ejus compensationem fructus retinet. *l. si fundus. 4. ff. de Leg. Commiss.* Quid verò si quis alicui rem certo pretio vendendam tradiderit, & accipiens rem illam pluris vendiderit, venditori vero tantum pretium determinatum solverit, quæritur, an ab ipso etiam Residuum pretii peti & exigi possit? Quod regulariter affirmandum; quod nim. tradens illud actione æstimatoria jure petat. per *l. si tibi. 13. pr. ff. de præscript. verb.* ubi, ut superfluum pretium determinatum excedens cedat vendenti, opus est pacto eam in rem; quo opus non foret, si hoc ipso, quo susciperet rem æstimatam vendendam, lucrari posset id, quod ultra est. Cum ergo hic requiratur

tur speciale pactum, sequitur quod jus commune hic sit in contrarium. vid. Jason. *ad l. 1. num. 3.* Frantzk. *in Comment. ff. tit. de estimator. action. Zæsius. eod. inf.*

X V.

Idem procedit, si Locator in mercedis solutione particularem solutionem admiserit. In residuum enim conductorem retinet obligatum; & in ejus securitatem interdum etiam instrumenta apud tertium deponuntur; *l. 5. C. deposit.* quo facto, si conductor Residuum solverit, ab obligatione liberatur, etiamsi nondum receperit instrumenta deposita; *d. l. 5. ad quæ recipienda contra sequestrum depositi habet actionem. d. l. 5.* quod ipsum verum est & locum habet, non tantum in Inquilino, sed & in Colono, qui nummis colit, vel partem fructuum solvit. *gloss. ad d. l. 5.*

XVI.

Similiter Creditor, qui pignus distraxit, haud raro in residuum contra debitorem actionem salvam habet. v. g. Si creditor secundum modum in legibus præscriptum pignus vendiderit, & pretium ad solutionem totius debiti insufficientem acceperit; illud, quod accepit, debitæ quantitati deducit; de residuo vero debitorem tenet devinctum. *l. Hypothesis. 3. l. si residuum. 5. l. quamdiu. 6. l. si cessante. 7. l. secundum. 20. C. de distr. pign. l. questum. 9. ff. eod. l. vetustissimam. 3. C. de jur. domin. impetr.* Et quamvis hoc in casu optime sibi creditorem prospicere dicat Zorerus, si protestando residui exactionem reservet. *In seinem Willenbedenken. q. 2. num. 208. ad 243.* ubi late hoc residuum pertractat. Verum cum Creditor hoc in casu quoad Residuum actionem ipso jure habeat salvam, proinde hanc protestationem ipse Jctus Paulus supervacaneam pronunciat, *in l. 9. §. 1. ff. de distract. pign.* Hæc autem Residui exactio, tam in pignore judiciali, quam conventionali locum habet; nec per *l. 2. divo 15. §. 3. ff. de rejudicat.* nec per alios juris textus specialiter quicquam de eo statutum est. Duo enim in *d. l. 15. §. 3.* proponuntur casus. Unus quando pignus actu venale expositum & emptor nullus inventus est; ac ita Creditori pro quantitate addicendum. Alter in versu: *nam si creditor.* Quando Creditor pignus venale exponendum ipse potius in solum habere vult, quam alteri distrahere.

strahere. Priori casu Creditori Residui, & Debitori superflui exactio nullatenus est interdicta. Posteriori vero casu tota exactio extinguitur. Cum hoc casu creditor iudicis æstimationem approbans, quasi transegit & pignus pro toto debito emptum habere voluisse, censeatur, uti eleganter hanc legem explicat Dn. Frantzk. in *Com. titul. ff. de distr. pign. num. 85. usque ad 89.* Si vero creditori, qui pignus distraxit, etiam usuræ debeantur, pretium, quod accepit, prius in usuras, & quod super est demum in sortem computatur; ad quam exsolvendam si non sufficiat, Creditor in Residuum contra debitorem actionem integrā habet. *argum. l. 2. de pact. pign. l. 1. C. de solut.* Sicut autem Creditor pignus minoris vendens, aut quocumque modo ad totam debiti quantitatem non perveniens adversus debitorem agit de residuo; ita idem pignus majoris vendens debitori tenetur de superfluo *l. Hypothecis. 3. l. si residuum. 5. l. quamdiu. 6. l. ei cessante. 7. l. secundum. 20. C. distract. pign. l. quasitum. 9. ff. eod. l. vetustissimam. 3. C. de jur. domin. impetr.* Præterea si subditorum bona repressalium jure (quod regulariter prohibitum *R. l. de Anno 1570. §. Wann auch Repressalien vid. Limnæ: de jur. publ. lib. 4. c. 8. num. 304 & seqq.*) ultra debiti quantitatem capta fuerint, residuum restituendum esse, docet Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 3. cap. n. 27.*

XVII.

Quæ in præcedentibus dicta sunt, procedunt etiam si aliquid ex quasi contractu debeatur; e. g. si quis tutelam administraverit, & rationibus redditis non omnia pupilli bona ipsi restituerit, adhuc in Residuum est obligatus, & directa tutelæ actione ejus nomine conveniri potest; adeo ut nec per generalem quietationem sive apocham liberetur, si adhuc ex bonis pupilli aliquid penes tutorem residere probetur, *Carpzov. part. 2. const. 11. def. 8.* Quin etiam si fuisse ratio reddita ac probata, tamen posset ob errorem calculi, aut ignorantiam alicujus omissionis vel commissionis ad triginta usque annos retractari & peti, ut de integro revideatur, calculetur & residuum præstetur. *Wesemb. part. 1. consil. 47. num. 50.* Nullum enim lucrum Tutor ex tutelâ facere debet, *l. qui negationem. 58. pr. inf. ff. de administr. Tutor.* Nec rationes

tiones videntur rite redditæ, si non omnia pupillo sint tradita & restituta *l. Tutorem. 9. C. de arbitr. tutel. l. cum servus § 2. ff. de condit. & demonstr.* Tunc enim inquit Sichard: rationes sunt redditæ, si nihil prætermissum, quod fuit inferendum; item si nihil insertum, quod fuit omittendum, & supremo si residuum, quod nos vocamus Remanet, sit solutum, in *C. de jur. delib. l. fin. §. 9. incomputatione. num. 4.* Nec per protestationem Tutor dicto in casu ab ulteriori rationum redditione sese liberare potest. *Carpz. part. 1. decis. 75. vide ejusdem lib. 5. Respons. 69. n. 18.*

X I X.

Liberis non solum ratio pietatis, sed & commune Parentum votum hereditatem Paternam defert, ipsique etiam vivente Patre quodammodo ejusdem domini videntur & dicuntur; *l. 11. ff. de liber. & postum.* Hinc, licet nihil sit, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis liber sit stylus, *l. 1. C. de Sacrosanct. Eccles.* Parentes tamen liberis, si non totam, certam tamen hereditatis portionem, quæ legitima dicitur, relinquere tenentur, & quidem heredis titulo; *N. 115. c. 3. Frantzk. Exerc. 6. quest. 5. Carpz. part. 3. constit. 9. def. 1.* utpote qui non tantum honorabilior, sed & ratione juris accrescendi est utilior; *l. filius. 5. ff. de legat. prest.* adeo, ut si hoc non fuerit factum, testamentum Parentum interdum reddatur nullum, interdum vero inofficiosi testamenti querela rescindatur. *d. N. 115. c. 3. t. 1. ff. & C. de inoff. testam.* Cæterum si Parentes liberis non totam dicto modo reliquerint legitimam, sed tantum certam legitimæ portionis partem ipsis institutionis titulo dederint, testamentum quidem subsistit, ita ut plus valeat institutio in uno nummo facta, quam legatum mille florenorum: verum liberi, etiamsi portionem, in qua heredes instituti sunt, acceperint, Residuum, quod legitimæ adhuc deest, exigere non prohibentur. *l. 35. §. 2. C. de inoff. testam.* Quamvis enim alias qui aliquid ex testamento accipit, illud approbare videatur, ita ut illud ulterius suo nomine impugnare non possit: *l. si pars. 10. ff. de inoff. testam.* actioni tamen ad Residuum competenti hoc ipso nemo renunciare videtur; etiamsi relictum simpliciter sine ulla protestatione, & residui reservatio-

ne agnoverit & acceperit, atque de accepto securitatem heredi-
bus fecerit, per textum expressum, in d. l. 35. C. de inoff. testam. ibi:
si filius post obitum Patris hoc quod relictum vel donatum est, simpliciter
agnoverit, forte & securitatem heredibus fecerit, quod ei relictum vel
datum est, accepisse, non adjiciens, nullam sibi superesse de repletione qua-
sionem: nullum sibi filium facere praesudicium, sed legitimam partem
repleri. Donatio siquidem, cujus species est hujus supplemen-
ti sive residui remissio, in dubio non praesumitur. arg. l. 25. d.
probat. Nisi itaque filius partem legitimam sibi relictam accipiens,
expresse residuum in apocha, vel transactione remisit, adhuc
jure illud exigere poterit. d. l. 35. §. 2. non obstante lege l. 10. ff. de
inoff. testam. Nam qui superfluum sive residuum hoc petit, ille
non impugnat testamentum, sed testamento in suo vigore relicto,
petit quod sibi debetur. Quicumque aliquid facit, sine ea ap-
probare videtur, sine quibus, illud, quod facit, subsistere nequit.
Unde legatum ex testamento petens. etiam ipsum agnoscere &
approbare censetur testamentum; sine quo legatum in eo reli-
ctum peti nequit. At portio legitimae a testatore relicta agnosci
potest sine supplementi renunciatione. Haec duo siquidem ni-
mirum agnitio testamenti & supplementi petitio simul stare pos-
sunt. Atque secundum hanc sententiam etiam pronunciarunt
Scabini Lipsienses, quorum Responsum refert Benedict. Carpz.
liq. 6. tit. 5. Resp. 46. num. 18. in cujus fine haec leguntur verba:
Dieweil sie aber dennoch ausdruecklichen das supplementi legitimae
sich nicht begeben ic. So ist der Ehemann/als dero Erb dasselbe noch-
mahls zusordern wol befüget; ic. B. R. W.

XX.

Ea quae hactenus tradita & exemplis illustrata sunt, nota-
bilem recipiunt limitationem, si residuum, principalis debiti sit
accessorium, & non jure actionis, sed tantum officio Judicis de-
beatur. Hoc enim in casu, si principale debitum, quod se. debet-
ur jure actionis, fuerit solutum, residuum, quod tanquam acces-
sorium officio judicis debetur, ulterius exigi non potest: e. g. Em-
ptor, si in pretii solutione moram admittat, ex tempore morae
etiam ad usuras obligatur; ita tamen ut pretium tanquam princi-
pale

pale jure actionis, usura vero tanquam accessorium officio Judicis debeantur. Hinc pretio soluto, Residuum usurarum peti nequit. Uti hoc expresse docet Hermogenianus *Jctus, in l. qui per. 49. §. 1. ff. action. empr.* Inquiens: *Pretii sorte, licet post moram, soluta, usura peti non possunt: cum ha non sint in obligatione, sed officio judicis presentur.* Nam soluto pretio, extinguitur & obligatio, & inde descendens actio; qua tanquam principali extincta, non potest subsistere Judicis officium; quod illi actioni inservit, & per se existere nequit. *arg. l. 129. l. 178. ff. de R. I.* Facit huc etiam *l. 4. C. Deposit.* Unde Scabini Lipsienses de tali casu consulti ita responderunt: *Ob ihr nun gleich vorgedacht 1000. fl. Rauffgelder mitlerzeit gebührlichen deponiret, da aber dennoch gedachter Caspar von Zehmen/dieselbe ohn alle Bedingung / und vorbehalt der Zinsen von euch angenommen hätte/ dafür sichs auß ewer Frage ansehen lässet/ so möchtet ihr nunmehr wegen der Zinsen von Ihme beständiger weis nicht belanget werden. B. R. W.* Si tamen venditor pretium post moram accipiens de usurarum exactione protestatus fuerit, illarum exactionem salvam retinet. Protestatio enim conservat jus protestantis. *l. si debitor. 4. §. 1. ff. quib. mod. pign. vel Hypoth. solv. l. pro herede. 20. §. 1. ff. de A. & O. H.* Et pretium cum tali protestatione accipiens, illud quasi cum conditione, si etiam usura fuerint soluta accipere videtur, & per consequens etiam actio non statim & simpliciter extinguitur, sed tunc demum, si conditio purificata, & usura quoque soluta fuerint.

XXI.

Aliud dicendum est de usuris, quae jure obligationis debentur, & actione aliqua exigi possunt v. g. si in mutuo vel alio contractu usura stipulatione, aut hodie pacto (ex quo nostris moribus actio datur) promissa fuerint. Licet enim fortis obligatio solutione fuerit extincta, harum tamen usurarum obligatio & inde descendens actio adhuc existit salva. Hic siquidem duae diversa adfunt obligationes ex diversis causis descendentes; quarum una sublata, non statim tollitur altera. *l. 8. ff. de eo quod certo loco.* Unde Lipsienses in simili casu: *daß besagter die rückständigen Zinsen Klägern zuerstattet schuldig. B. R. W. Carpz. part. 2. const. 30. def. 12.*

XXII.

Ceterum an *d. l. 49. §. 1. ff. & action. empr.* & ejus dispositio adhuc hodie locum haberet, si quis secundum dispositionem novissimi Recessus Imperii sortem ante usuras solveret, quaestio est non satis expedita: e. g. Titius Anno 1634. a Cajo praedium emit 1000. fl. illudque traditum accepit, sed pretium, etiam saepe interpellatus, non solvit; ita ut & pretium, & quartam usurarum ex mora debitarum partem adhuc debeat. Hic Titius si post triennium a tempore Novissimae Imper: constitutionis efluxum, a creditore interpellatus, intra decennium ab eodem tempore, pretium secundum dictam constitutionem solveret, illudque creditor sine protestatione acciperet; Quæritur an post decennium Residuum usurarum jure peti & exigi possit? Pro negativa facere videtur, primò quod dispositio *d. l. 49. §. 1.* nusquam reperitur expresse correctæ, aut immutata. Quicquid autem certa lege specialiter non reperitur correctum, id veterum legum constitutionumque regulis omnes relictum intelligant, inquiunt Impp. Theodos. & Valent. in *l. precipimus. 32. in f. C. de Appellar. l. sancimus 27. C. de Testam.* Secundo, quod ratio *d. l. 49. §. 1. & l. si deposita 4. C. de pos.* adhuc hodie etiam hoc in casu locum habeat. Nam & hoc usurarum Residuum tanquam accessorium Judicis tantum officio debetur; Nec duæ diversæ hic competunt actiones; sed una tantum; quæ pretii solutione extinguitur; illaque sublata, nec officium Judicis, quod illi inservit, subsistere poterit. Non entis enim nullæ sunt qualitates, per vulg: Tertio, habet etiam Creditor, quod sibi imputare possit & debeat, quod sc. sortem & pretium simpliciter sine protestatione & reservatione acceperit. Scivit enim, vel scire debuit, (quæ duo paria sunt) sorte sine protestatione accepta, usuras ex mora debitas peti non posse. Proinde eo ipso, quo hoc fecit, & pretium simpliciter accepit, ipse quoque in hoc jus tacite consensisse, & juri suo renunciasse videtur; *d. l. 49. §. 1. argum. l. si post moram. f. ff. de eo quod cerr. loco.* ipsisque nulla injuria fieri censetur. Damnum enim quod quis sua culpa sentit, non videtur sentire. Nec violenti & consentienti fit injuria. Quamvis itaque de Imper: constitutione,

stitutio, & ejus § Die verstoffene Zins vers. wofern aber 3. generalis sit, restringenda tamen videtur ad usuras jure obligationis & actionis debitas; nec extendenda ad usuras ex mora officio Judicis debitas. per d. l. 49. §. 1. & l. 4. C. de pos. Nec novum est, ut leges posteriores ad priores trahantur, & ex his interpretationem accipiant. l. sed posteriores. 28. ff. de LL. Et legem novam secundum legem antiquam esse intelligendam & distinguendam, communis est Dd. doctrina per d. l. 28. non est novum. l. 26. eod. Neque priores speciales per posteriores generales abrogantur constitutiones. l. 3. C. de silentiar. cap. 1. & 14. X. de rescript. Sed in toto jure generi per speciem derogatur. c. 39. R. 1. in 6. Nec refert, sequatur species genus, vel præcedat l. servo ff. de pecal. legat. c. sicut Romana 1. & c. pastoralis. 14. X. de rescript. c. 38. de præbend. in 6. ibi gloss.

XXIII.

Contra pro Affirmativa sequentes pugnant rationes: I. Quod in dicta Imp: constitutione etiam post sortis solutionem generaliter usurarum exactio permittatur, sine distinctione inter usuras jure obligationis & officio judicis debitas. Lege autem non distinguente, nec nostrum est distinguere. l. de pretio 8. ff. publ. in rem. act. II. Certum esse videtur, quod d. Constitution. §. Die verstoffene und noch unbezahlte. quoad priores duas partes, nimirum quod usura præcedentis temporis usque ad quartam illarum partem remissæ; & hæc quarta post decennium demum secundum modum ibidem determinatum exigi debeat; ad has quoque usuras, quæ ex mora & officio judicis debentur pertineat; Ergo etiam tertia illius §. pars ad has pertinebit usuras. De quibus enim usuris duæ priores d. §. partes loquuntur, ad illos etiam pertinet tertia ejus pars; utpote quæ expresse sese refert ad priores duas partes. Verba enim hujus §. hæc sunt wofern aber 3. obberührter massen das Capital vor verstoffung dieser zehn Jahr abgestattet sein würde; so soll der Schuldiger / das residuum NB dieses $\frac{1}{4}$ (hujus quartæ, de qua in præcedentibus) innerhalb den nebstfolgenden drey oder vier Jahr zu bezahlen gehalten se. III. Hoc in casu Creditori sortem sine usuris recipienti nihil imputandum esse videtur. Cum residuum usurarum non pure, sed in diem debeat; nec

nec ante illum diem efficaciter peti possit. Et Creditor ex legis necessitate usurarum exactionem ad tempus in constitutione definitum differre tenetur; ac per consequens interim rei familiaris necessitate coactus fortem sine usuris accipiens, hinc renunciare non censetur. *arg. l. 25. ff. de probat.* Nemo siquidem in necessitatibus est liberalis. *l. rem legatam. 18. ff. de adminend. legat.* Protectionem autem propterea omisit presumitur, quod residuum hoc in casu per hanc generalem Imp. constitutionem sibi salvum fore crediderit *arg. l. 8. §. 15. ff. quib. mod. pign. solv.* Quarto pro hac posteriori sententia haud contemnendum suppeditat argumentum, de Constitutionis §. seq. Anreithend die fünffrige Zins vers 6 was ein Fidejussor oder ein expromissor für einen anderen allbereit hat bezahlen müssen/oder noch fünffrig aufferhalb des Reichs / wo diese constitution nicht bindig bezahlen muß: So viel aber das interesse von dem/was er aufgelegt haben mag/belanger/und er zusodern vermeinen möchte / soll es damit gehalten werden/ wie eben von Zinsen versehen. Hic primo omnium sciendum, sive fidejussor rogatus, sive sua sponte pro alio intercesserit, & postea debitum solverit, quod ei etiam usurae pecuniae solutae ex mora, vel aequitate debeantur, & officio Judicis praestentur. Nam fidejussori priori in casu, si rogatus fidejussit, contra debitorem pro quo intercessit & solvit, ad pecuniam repetendam datur actio mandati; posteriori vero in casu actio negotiorum gestorum; §. *si quid. 6. l. de fidejuss. l. ex mandato 20. §. 1. l. qui fide. 53. ff. mandat.* quarum utraque est bonae fidei §. *actionum. 28. l. de action.* & post moram, vel ex aequitate officio Judicis usuras recipit. *l. mora. 32. ff. de usur. l. si vero. 12. §. 9. ibi judicem aestimare debere & in f. totum hoc ex bono & aequo iudex arbitrabitur. ff. mand. l. atquin. 19. §. 4. ff. l. ob negotiorum. 18. C. de negot. gest.* De hisce autem usuris, quae nimirum fidejussori pro pecunia ab ipso soluta debentur, expresse in d. §. dicitur, quod in illis ea quoque, quae in prioribus de usuris disposita sunt, observari debeant. At in prioribus etiam hoc sancitum, quod sorte intra decennium soluta, postea usurae intra triennium vel quadriennium exsolvi debeant. Ergo hoc etiam in hisce usuris ex mora vel aequitate officio Judicis fidejussori praestandis erit observandum. Haec autem, an priora argumenta fortiora sint, in conflictu videbimus. Interim ex dictis

dictis hoc addiscimus, creditores, quibus usura tantum ex mora officio iudicis debentur, optime sibi prospicere, si, ad præcavendam hanc controversiam, fortem accipientes, petitionem residui usurarum protestando sibi reservent.

XXIV.

Residuum exigere possunt Creditores, quibus illud vel ex jure in re vel ad rem; hocque vel ex conventionione, vel ex delicto debetur. Nam & ille recte Creditor, dicitur, cui ex delicto aliquid debetur. *l. 12. de v. s.* Et si alicui aliquid ex delicto solvendam restet, quin illud recte residuum dicatur, nullus dubito. Deinde quoad personas residuum exigentes nec illud quicquam refert, Creditores sive sint primi, sive secundi; h. e. qui in primi locum successerunt, & ejusdem personam repræsentant: ut sunt heredes, & alii successores Universales, qui in universum jus defuncti succedunt, & in quos regulariter omnes actiones active transeunt; *l. 37. de A & O H.* adeo ut nullum sit dubium, quin heredes & similes successores residuum æque ac primus Creditor exigere possint. vide Præjudicium Scabin. Lips. apud. Bened. Carpz. *lib. 6. Respons. 46. num. 18. ibi: so ist der Chemann als derselben Erbe solches nochmahln zuserfordern wol befugt.* Singulares successores, qui sc. primo Creditori ex titulo singulari, quoad unam vel alteram actionem successerunt, licet proprie creditores non sint, & strictè loquendo ad Residui subjectum non pertineant. Nam ipsi directam actionem non suo, sed auctoris sui nomine in judicium deducunt, & residuum procuratorio nomine exigunt: quia tamen quoad effectum parum differunt ab ipso Actionis domino, ipsisque etiam suo nomine utilis competit actio, lisque illorum propria dicitur; & residuum, quod exigunt, etiam illorum comodo cedit, haud improprie illi quoque ad hoc subjectum referuntur. *arg. l. qua omnia 25. l. Procuratore 55. ff. Procurator. l. Emptor. 5. l. ex nominis. 8. l. certi. 9. C. de hered. vel. act. vend.*

XXV.

Petitur Residuum ab ejus Debitoribus; qui hoc in loco sunt omnes, qui vel jure obligationis aliquid præstare tenentur, vel ad rem tradendam reali conveniri possunt actione; per ea, quæ supra sunt tradita. Sicut autem subjectum activum non tantum constituunt
primi

primi Creditores, sed illorum quoque successores; ita etiam illi, qui in debitorum locum succedunt, ad passivum residui subjectum pertinent. Quoad reales autem actiones non semper heredes & alii universales successores in Rei seu debitoris locum succedunt; sed illi tantum, qui rem vindicandam possident. In his siquidem actionibus ex parte Rei, rei petenda requiritur possessio, *l. unic. C. de alien. Iudic. mutand. caus. fact.* Et hæ actiones quodammodo in rem ipsam diriguntur. *l. 19. ff. de iure fise. l. actionum. 25. ff. de O. & A. l. pro hereditariis 2. C. hered. actio. l. actio 2. C. si unus ex pluribus.* Hinc si defunctus res alienas possidens, aliquas restituerit, reliquas apud se retinuerit: hæres vero illarum possessionem non apprehenderit, nullum est dubium, quin ille ad residuum reali actione conveniri nequeat. *l. si in rem. 42. ff. de Rei vindic. ubi Paulus si in rem actum sit, inquit, quamvis heres possessoris, si non possideat, absolvatur.* Unde etiam libellus actionis realis, qui in heredem tantum concipitur, ommissa possessionis mentione, tanquam ineptus rejicitur. Oldendorp. *class. 3. actio. 2. num. 2.* Quamvis enim heres suus ipso jure, extraneus vero per hereditatis aditionem in universum jus defuncti active & passive succedat: *l. more. §. l. heres. 37. ff. de A. & O. H.* possessio tamen, quia facti est, & animo ac corpore acquiritur, in heredem non transit; sed ut ipse rerum hereditariarum possessionem consequatur, necesse est, ut illas apprehendat *l. cum heredes 23. pr. ff. A. & A. P.* Caterum si defunctus residuum, quod jure in re ad alium pertinet, ante litem contestationem dolo possidere desierit, licet heres non reali, tamen in factum actione ad illud, in quantum ipse ex illo locupletior factus est, conveniri potest. *l. cum autem. 52. ff. de R. V.*

XXVI.

In personalibus actionibus ratione heredum distinguendum est, an Residuum debeatur ex delicto, an vero ex conventionione. Priori in casu, si lis nondum sit contestata, regulariter heredes de residuo non tenentur, sed hæ actiones morte Rei extinguuntur; §. 1. de perpet. & temp. action. l. civilis. 1. pr. ff. de privat. delict. l. item si res. 4. §. f. & seqq. ff. alien. judic. mul. caus. fact. Bachov. *Tr. de action. D. 5. rhes. 4.* Nec refert si sint pœnales §. 1. I. de perpet. & tempor. act. l. civilis 1. pr. ff. priv. delict. l. sicuti. 38. l. Pupillum, 111. §. 1. ff. l. l. cui opus.

opus. 22. ff. de nov. oper. nunciat. l. sancimus. 22. C. de pæn. sive mixta, §. 1. l. de perpet. & temp. act. l. Pupillum. 111. §. 1. ff. R. l. l. inde Nerarius 23. §. 8. ff. ad L. Aquil. l. hac actio 13. ff. de serv. corrupt. l. Prator. 2. §. final. ff. vi bon. rapt. l. furtim. 7. §. 6. ff. arbor. furt. casar. sive rei persecutoria. l. item si res. 4. §. f. & seqq. de alien. jud. mut. caus. fact. l. un. C. ex delict. defunct. in quant. hered. l. f. C. ver. amor. Posteriori in casu, si residuum debetur ex conventionione, eaque vera, vel quasi, regulariter etiam heredes illud præstare tenentur; l. ex depositi 12. l. Filiusfamilias 39. ff. O. & A §. 1. l. de perpet. & temp. etsi hereditas solvendo non sit; l. 8. ff. de A. & O. H. nisi inventarium rite confecerint. tunc enim nihil ultra vires hereditatis de suo præstare tenentur. l. fin §. 4. C. de jur. deliber. Adeo ut hi hæredes, qui cum beneficio Inventarii hereditem adierunt, licet prius legatariis legata solverint, & reliquum hereditatis creditoribus supervenientibus non sufficiat, tamen ab hisce de residuo ultra hereditatis quantitatem conveniri nequeunt. d. l. f. §. 4 §. 5. ibi: si vero creditores, qui post emensum patrimonium nec dum completi sunt, superveniant, neque ipsum heredem inquietare concedantur. §. 7. C. de jure deliber. Competit tamen hoc in casu creditoribus supervenientibus ad residuum consequendum actio contra legatarios, qui ex hæreditate ante creditores hereditarios legata sunt consecuti; & quidem vel condictio ex lege, vel hypothecaria; quæ ultima datur hypothecariis, si res hereditariae ipsis obligatae adhuc apud legatarios existunt; si vero consumptæ sunt, ipsis ut & reliquis creditoribus hypothecam non habentibus ad residuum contra legatarios pro quantitate legati accepti datur condictio ex lege. Satis enim absurdum esset creditoribus jus suum perfectibus auxilium legitimum denegare, legatariis vero, qui pro lucro certant, suas partes leges accommodare. l. d. f. §. 5. Imo hoc etiam procedit, si heres creditoribus minus privilegiariis prius solverit. Licet enim ipse a supervenientibus creditoribus potiora jura habentibus de residuo conveniri non possit, datur tamen his quoque contra illos minus privilegiarios creditores pro quantitate accepti in Residuum vel Hypothecaria vel condictio ex lege. d. l. fin §. 6 §. 7. & 8. C. de jure deliber. Idem sæpe accidit in aliis casibus, quibus Creditores Residuum ab illorum debitore propter ejus inopiam

D

confe-

consequi nequeunt, ut tamen contra alios ejusdem creditores, qui a debitore prius debita sua acceperunt, actionem ad residuum consequendum habeant, modo, bonis nondum possessis, hi jus fortius habeant; de quo vide omnino Berlich. *part. 1. concl. 61. num. 7. & seq. usque ad fin.* Carpzov. *part. 1. const. 28. def. 179. & seqq.* Hahn. *ad Wesenb. w. tit. de privileg. credit. numer. 8. vers. sibi vigilaverit.*

XXVII.

Quoad res, in quibus Residuum hoc consistit, nihil interest, sive sint corporales, quæ sua natura tangi possunt, sive incorporales. Nam & Nominum & similium rerum incorporalium, residuum dari, nullus dubito. Deinde nihil quoque refert, sive res sint mobiles, sive immobiles; modo commercio hominum non sint exemptæ.

XXVIII.

Petitur autem Residuum regulariter iisdem Actionibus, quibus totum. Debetur enim regulariter Residuum ex eadem causa, ex qua totum. Ubi autem eadem Actionis causa, ibi eadem quoque competit Actio. Hinc Residuum pretii, æque ac totum pretium, venditi petitur actione. *l. 2. c. de act. vend.* Fallit tamen hæc regula in Residuo legitimæ. Liberis, uti supra dictum, ex Parentum hereditate certa debetur portio, quæ legitima vocatur, & jure novo, titulo hæredis ipsis est relinquenda; quæ si tota relicta fuerit, petitur vel hæreditatis petitione, vel familiæ heriscundæ judicio. Cæterum si filius non in totam legitimam fuerit institutus, residuum nec hereditatis petitione, nec familiæ heriscundæ judicio petere potest. Hoc enim Residuum ipsi non debetur jure hereditario, ex quo dictæ veniunt actiones. Datur autem ad hoc residuum consequendum vel Actio ex testamento, si nimirum testator legitimam suppleri in testamento jusserit; vel conditio ex lege, si sc. de supplemento legitimæ, in testamento nihil dictum sit. Hoc enim in casu residuum legitimæ debetur, nec ex heredis institutione, nec ex alia testatoris ordinatione, sed ex sola legis dispositione; quæ ad illud actionem concedit, sed genus actionis

actionis non exprimit; *l. omnimodo. 30. C. de inoff. testam.* Ergo ex lege conditio competit. *l. unic. ff. de condict. ex leg.*

XXIX.

Et si vero ad Residuum exigendum legitima competat Actio; illa tamen haud raro in certum casum vel tempus differtur. e. g. Debitore in id, quod facere potest, condemnato, vel ipso bonis cedente, licet actio in residuum creditori supersit, ejus tamen exactio differtur in casum, si debitor ad pinguiorem fortunam pervenerit. §. 40. *l. de act. l. un. §. 15. C. de rei ux. act.* Sic quamvis ad residuum usurarum, quod secundum novum Imperii Recessum debetur, legitima adsit, & creditoribus competat actio; illa tamen ad certum tempus differtur, ita ut de illo ante decennium nihil, post decennium vero singulis annis ex præteritis annua exigi possit pensio. *d. Recess. imp. §. die verfloßene.* Si vero debitor bonam fidem agnosceret & hoc residuum ante decennium solveret, quin hoc Creditor accipere teneatur, nullus dubito; in tantum, ut, si creditor illud accipere recuset, debitor residuum rite deponendo, sese liberare possit. Hæc enim dilatio in favorem debitoris concessa est *d. §. die verfloßene. vers. damit dem Debitori keine unmöglichkeit auffgebürdet re.* Quilibet autem favori pro se introducto renunciare. & ante diem in ejus favorem adjectum, debitum creditori offerre potest. *l. si quis. 20. C. de pact. l. eum qui. 41. ff. de V. O. l. qui res 98 §. 4. ff. ac solut.* Ita ut totum medium tempus debitori ad solvendum liberum sit. *l. stipulatio 38. ff. de V. O. l. 70 ff. de solut. Carpz. p. 2. const. 28. def. 11.* quæ omnia eo magis in hoc casu procedunt, utpote quo dilatio propterea conceditur, ne debitori impossibile imponatur; *d. §. R. l.* quæ ratio cæssat, si ante tempus debitum a debitore offeratur. Neque huic sententiæ obstant sequentia *d. §. verba.* quæ hoc indicare videntur, ac si illud tempus etiam in favorem Creditoris adjectum esset. Hæc enim ibidem leguntur verba: *Und damit dem Debitori keine Unmöglichkeit auffgebürdet / dem Creditori aber ins künfftig eine mögliche Gewisheit verschaffet werde re.* Quandocunque vero certum tempus in favorem Creditoris additur, ipse Creditor ante-illum diem debitum oblatum accipere non tenetur; nec debitor illud deponendo libe-

ratur. *l. lavoleus. 15. ff. de annu. legat. l. qui Roma 122. ff. de V. O. l. 43. §. 3. ff. Leg. 2. Carpzov. d. c. 28. def. 12.* Verum hisce non obstantibus, adhuc priorem sententiam verissimam esse existimo. Nam quamvis in determinatione hujus dilationis constituentes quodammodo etiam ad personam Creditoris respexerint, principaliter tamen hæc dilatio debitoris respicit favorem. Creditoris, vero rationem in eo tantum habuerunt, ut ipse tandem hoc residuum certo consequatur; adeo ut ejus nihil intersit, solutionem ante illud tempus fieri.

XXX.

Cæterum si ante decennium fors fuerit soluta, hoc usurarum residuum debitor intra triennium vel quadriennium exsolvere jubetur; quod tempus incipit currere a tempore exsolutæ sortis, & totum debitoris arbitrio videtur relictum; ita ut ipsi liberum sit vel intra triennium vel quadriennium solvere. In alternativis enim regulariter electio est Rei. *l. arbitraria. 2. §. 3. ff. de eo quod. cert. loc. l. 10. §. f. ff. jure dot.* ita ut Creditores etiam hoc in casu quadriennio nondum elapso male agant, nec quicquam intra quadriennium cum effectu exigere possint; *arg. §. 2. 1. d. V. O. l. obligationum 44. §. 1. ff. de O. & A. l. qui hoc anno. 42. de V. O. l. 9. in f. pr. ff. R. C. l. 213. de V. S.* Sponte tamen si hoc residuum solverint debitores; illud tanquam indebitum repetere nequeunt. Verum enim est debitum omni jure divino & humano radicatum. Et in diem debitor adeo debitor est, ut ante diem solutum repetere non possit, inquit Paul. *Jctus. in l. 10. ff. de cond. indeb.*

XXXI

Capitalia debita ante triennium a tempore publicati Recessus computatum, repeti nequeunt. Triennio vero elapso Creditor quidem solutionem sortis petere, sed debitor intra septem annos proximos debitum particulariter & quidem pro quantitate debiti duobus, tribus, quatuor, quinque, sex aut septem terminis solvere potest. *d. R. I. §. So viel nun die Capitalia anlanget. vers. als aber drittens ein Creditor nach vermessung erstgemelter drey Jahren solche auffkundigung thäte / soll dem*

dem Debitori in nechst darauff folgenden sieben Jahren frey stehen und zugelassen sein. die Capital summam particulariter und auff gewisse / nach dem die Summa groß oder klein ist / proportionirte billig mässige zwene / drey / vier / fünff / sechs oder zum höchsten sieben termin &c. abzulegen / der Creditor aber solche anzunehmen schuldig. in. Hinc si debitor partem solverit, & residuum quinque aut sex terminis solvere velit, Creditor vero ut paucioribus solvatur terminis petat; Queritur, an hæc Residui divisio a libero debitoris arbitrio dependeat, ita ut ipse pro suo arbitrio, tribus, quatuor, quinq; aut sex terminis illud exsolvere possit? Quod primo intuitu dicendum videtur; idque propter illa d. §. verba soll dem Debitori in den nechsten darauff folgenden sieben Jahren frey stehen und zugelassen seyn. c. His tamen non obstantibus, contrarium verius esse existimo, quod sc. Iudex ex bono & æquo arbitrari debeat, quot terminis debitum solvendum sit. Nam hos solutionis terminos, & debiti quantitati & æquitati convenire oportet, nach dem die Summa groß oder klein / sollen auch die Termin proportionirt und billig mässig sein. d. §. Quæ vero summa hic magna, quæ parva dicatur, & qualis proportio hic sit observanda, illud in hoc Recessu non definitur. Quæcunque autem in jure definita non sunt, illa non partis, sed Judicis relinquuntur arbitrio l. 1. §. ff. de jur. delib. Berlich. p. 2. dec. 193. n. 6. Debitori liberum est, an post triennium, debitore petente, statim totum debitum, an vero distinctis terminis illud solvere velit. Posterius si elegerit, termini constituendi sunt æquitati & quantitati debiti convenientes; in quo si debitor & Creditor non convenient, nec hic, nec ille, tanquam in propria causa, judex esse poterit. Unde in illo ipso §. d. R. l. in simili casu arbitrium Judicis reservatur. Aliud dicendum est, si creditor debiti partem accipiens Residui solutionem simpliciter Debitoris arbitrio relinqueret. hinc fortassis verbis: Er Creditor wolte den Rest bis zu des Debitoris guten belieben; bey ihme stehen lassen; oder der Schuldner solte den Rest nach seinem guten belieben bezahlen. Hoc enim in casu solutionis terminus simpliciter in debitoris arbitrium est collatus, unde debitor; quamdiu vivit, ad solutionem

compelli nequit; Berlich. p. 2. dec. 193. eo vero mortuo, contra ejus heredes efficax datur actio. Hoc enim arbitrium debitoris personam non egreditur. Carpz. part. 2. const. 28. def. 18 ubi hanc sententiam præjudicio confirmat. Berlich. p. 2. decis. 193. num. 17. & num. 20. ibi sondern dermahl eius in ewer Persohn durch den geistlichen todt/auffhöret etc.

XXXI.

Ad finem properans paucis etiam videbo, quomodo Residui obligatio tollatur & extinguatur. Contraria enim juxta se posita magis elucescunt, Extinguitur autem iisdem modis exactio Residui, quibus totius obligatio solvitur. Et hoc vel ipso jure, vel ope exceptionis. Ipso jure & quidem perfectissime debitorem a Residuo liberat ejus solutio l. propter. §. C. de pos. etiam ab alio Creditoris nomine facta. l. 5. l. 17. C. de solut. Paritate Residuum expirat, si creditor parte debiti accepta, Residuum tulerit acceptum. Acceptilatio enim vim solutionis habet, & obligationem ipso jure extinguit, æque ac naturalis rei debita solutio. l. si donationis. 1. l. per Aquiliam. 2. C. de accept. l. in diem. §. l. an inulis. 8. §. f. l. si ex pluribus. 16. ff. eod. Unde etiam imaginaria dicitur solutio §. 1. l. quib. mod. toll. oblig. Deinde ipso jure etiam solvitur Residui obligatio compensatione, l. 4. C. de compensat. Novatione, §. 3. l. quib. mod. toll. obligat. legitima ejusdem Dispositione, l. stipulatus. 9. C. de solut. acceptam. 19. C. de usur. l. 1. §. 3. ff. de pos. Carpz. lib. 5. Resp. 100. num. 2. Confusione, l. debitori. 7. C. de pact. l. stichum. 95. §. 2. ff. de solut. Præscriptione, l. 3. C. de 30. & 40. annor. præscript. Carpz. p. 1. c. 25. def. 1. num. 4. interdum contraria voluntate, §. f. l. quib. mod. toll. oblig. & Rei debita interitu. l. si ex legati 23. ff. V. O. Morte §. 1. l. de perpet. & temp. action.

XXXII.

Exceptionis ope debitor a Residuo liberatur, si creditor pacto illud remisit, §. 3. l. de except. idque vel expresso vel tacito, chirographo nimirum debitori post partis solutionem reddito, quo ipso Creditor regulariter residuum remittere videtur. l. Labeo. 2. §. 1. ff. de pact. Unde Creditores, licet debita capitalia intra

intra 10. annos fuerint soluta, obligationes tamen sive chirographa ante Residui usurarum exsolutionem debitori reddere non tenentur. Noviss. Imper. Recept. §. die verstoffene ibi inf. der Creditor aber die in handen habende Original Verschreibung nicht ehender auf handen und von sich zugeben schuldig sein / bis ihm die schuldigen sinfen ebenmessig vor voll erleyet werden. Ne sc. hoc ipso illud remittere viderentur. Hodie nostris moribus, si quis Residuum pacto expresso remisit, quin ejus obligatio ipso jure tollatur nullus dubito. Nihil enim tam naturale est, quam ut eo modo quid tollatur, quo constitutum est. Quod autem hodie ex pacto etiam efficax obligatio detur, communis est Dd. sententia de, qua etiam testatur Carpzov.

XXXII.

Residuo autem semel remisso, regulariter Creditori ad illud non datur regressus; *l. quaritur. 14. §. 9. ff. de edil. edict.* etiamsi hæc remissio ob debitoris inopiam facta sit, & ipse ad meliorem & pinguiorem fortunam pervenerit. Moller. *lib. 4. semest. cap. 6. num. 7.* Berlich *p. 2. dec. 244. num. 15.* Et hanc sententiam usum fori observare, testis est Dn. David Mevius, in *discuss. levam. inop. debit. cap. 7. num. 84.* quod maxime procedit, si judicis decretum vel confirmatio accesserit. Strach. in *tr. de decoctor. part. 6. num. 2.* Cæterum si vitio suo aut inopiam, aut remissionem causaverit debitor, ipsum non liberat hæc Residui remissio. Neque ipsi dolus suus per occasionem juris civilis contra naturalem æquitatem prodesse debet, *l. 1. §. 1. ff. de dol. mal.* Sed exceptio pacti, merito doli eliditur replicatione. Et cum debitor gratiam turpiter acceperit, ideo eundem conditioni ex turpi causa obnoxium esse tradit Strach. *d. part. 6. numer. 1.* Brun. in *tr. de cess. bon. q. 22. num. 7.* & alii a Mevio *d. l. numer. 85.* allegati: ubi in fine etiam hoc verum esse putat, licet Creditor de Residuo quittance dederit. Sed de his & aliis plura hac vice addere prohibet & temporis & instituti mei ratio.

T A N T U M.

C O R.

COROLLARIA.

- I. Fidejussor, cujus creditor debitoris principalis hereditatem cum beneficio inventarii adiit, confusione non liberatur.
- II. Actio Injuriarum estimatoria perpetuatur etiam per preces Principi oblatas, & subsecutam ad eas rescriptionem.
- III. Ad instrumentorum recognitionem, litis reasumptionem, Juramenti delationem, Jurisdictionis prorogationem non admittendus est Procurator, nec consanguineus, sine speciali mandato, licet offerat cautionem de rato.
- IV. Consulem proprio tantum nomine, omisso officii titulo compellans, non tenetur injuriarum.
- V. Fidejussor licet exceptioni Divisionis renunciaverit, ejus tamen heredes tantum pro rata & hereditaria portione conveniri possunt.
- VI. Cessionarius, licet utili actione agat, & cessio ex titulo oneroso facta sit, jure tamen propter compensationis exceptionem, qua adversus cedentem competit, repellitur.

DEO SIT LAUS ET GLORIA
IN INFINITA SECLA.

94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle 3
002 381 974




sb.

94 A 7360



spiritu sancto et ceperunt loqui ali
A omnes et omnia que in
hominum dicit deo illud. Eua

Carri
veffi
e dec
uris
n lab
enera
t. Se
or toi
ri co
is dol
perdi
culr
t dili
cum
ontir
DU
RAI
sq; f
NO
ai ver
imp
do tu
is do
fine
a, ne
homi
ut q
fixun
mini



DISPUTATIO INAUGURALIS 19

De
RESIDUO;

Quam,
AUSPICE DEO.
Decreto
Amplissimi Jure-Consultorum Ordinis,

P R E S I D E
WOLFGANG-ADAMO Lauterbach/
U. J. D. & Professore,

Pro honoribus & privilegiis
DOCTORALIBVS
rite consequendis,

Ad Diem Julii,
Publico Examine submittit
JOHAN. ALBERTUS Schüz/
Gustrovio Mecklenb.

TUBINGÆ,
Typis **JOHANN: ALEXANDRI CELLI,**
ANNO M. DC. LVI.

